

decrevimus celebrare conventum. Tuam ergo fraternitatem litteris praesentibus praemonemus, ut ei omni occasione seposita cum suffraganeis tuis interesse studeas, quatenus communi deliberatione ad honorem dei ecclesiae necessitatibus providere, corrigenda corrigere, extirpanda extirpare et roboranda possimus praestante domino roborare. Datum Briuati IIII. Nonas Maii.

Nach dem Cod. S. Maur. im herzogl. Archiv zu Bernburg fol. 30b.

No. 44. 1130.

Markgraf Conrad schenkt der Stiftskirche zur Benutzung des Capitels das Dorf Sremsnize im Gau Belgor und dem Burgwart Trescowo.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Conradus Misnensis marchio. Cognoscant universi Christi fideles utriusque gradus, laici et officio altaris mancipati, qualiter nos pro redemptione animae nostrae ac contectalis nostrae pariterque parentum nostrorum, praesentibus et collaudantibus filiis nostris Oddone et Theoderico, Heinrico, Tetone, Friderico, villam quandam nostri allogdii nomine Sremsnize^{a)} in pago Belgor^{b)} in burchwardo Trescowo^{c)} sitam, ecclesiae Misnensi cum omni utilitate ac iure, cultis et incultis, agris, pratis, molis, molendinis, areis, silvis, piscationibus, venationibus, aquis aquarumque decursibus, viis et inviis, exitibus et reeditibus, quaesitis et inquirendis et omni utilitate, quae inde provenire poterit, specialiter ad canonicorum eiusdem ecclesiae utilitatem libere contradidimus, eo videlicet tenore, ut nulla persona magna vel parva, seu episcopus praedicti loci aliquam potestatem habeat diminuendi vel commutandi vel alienandi a communi fratrum utilitate. Si quis autem temerarius huius nostrae traditionis violator extiterit, cum Juda traditore gehennali incendio aeternaliter cruciandus deputetur. Sua vero iura conservantibus sit pax et benedictio et cum sanctis omnibus aeterna remuneratio. Et ut haec nostra traditio stabilis et inconvulsa permaneat, sigilli nostri impressione praesentem cartam signavimus. Haec autem facta sunt in ecclesia Misnensi, in generali synodo praesidente beatae memoriae Godebaldo episcopo, regnante domino Lothario imperatore, anno autem ab incarnatione dominica M. C. XXX. feliciter. Amen. (L. S.)

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit wohlhaltenem Siegel.
Schöttgen Gesch. Conrads d. Gr. S. 280. — Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 27.

a) Schirmenitz (Schirmitz) bei Mühlberg. b) Belgern. c) Dröschkau zwischen Belgern und Mühlberg.

No. 45. 1131. 29. Oct.

P. Innocentius II. bestätigt der Stiftskirche alle Rechte und Güter, welche dieselbe besitzt oder künftig besitzen wird.

Innocentius episcopus servus servorum dei venerabili fratri Godeboldo Misnensi episcopo eiusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. In eminenti apostolicae sedis culmine disponente domino constituti, fratres nostros episcopos diligere,